DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HECTICA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HECTICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS CAPPE,

ANGLUS,

Societ. Reg. Med. Edin.

Soc. Hon. et iterum Praes. Ann.

necnon

Lyc. Med. Lond. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

Apud ALEX. SMELLIE.

M,DCC,XCVII.

PATRI DILECTO

NEWCOME CAPPE,

HOC OPUSCULUM,

PIETATIS CULTUSQUE

TESTIMONIUM,

SACRUM

VULT

AUCTOR

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HECTICA.

IN hac disputatione historiam *hecticae* ex scriptis auctorum multi nominis, qui hanc dispersè et diffusè prosecuti sunt, condere; deinde, de ejus natura, paucis dicere; tunc, qua ratione curetur, exponere, nobis consilium est.

Materia hujus opusculi omnis, praeter pauca, quae immiscuimus et adjecimus,

A duntaxat

duntaxat pars est aliquanto majoris, quod, pro disputatione *inaugurali*, selectum perscripseramus. Caeteras autem hujus partes, non solùm quia rerum magnitudo nos longiùs perduxerat, sed etiam quia nobis non erat optata opportunitas specimina *anatomica* parandi, quibus, ut speraveramus, naturam tuberculorum forsan, aliqua ex parte, exponere potuissemus, reticere satius putavimus.

In suppresso opere nobis in animo erat, si copia data fuisset, perquirere et investigare, in tubercula, necne, absorbentia vasa, aut *bronchialia* ramusculos tendant; eòque magis, quòd, nulla omnino *pulmonalia* tendere conspici, STARK jam certiores fecit.

DE

DE HECTICA.

Hectica, licèt forsitan morbus interdum primarius videatur, tamen plerumque cujusdam partis morbo supervenit. Praecipuas notas, quibus cognoscitur, ad compendium aptè contulit CULLEN hac definitione: " *Febris quotidiè revertens; accessio-*
" *nibus meridianis et vespertinis; remissio-*
" *ne, rariùs apyrexia, matutina; plerumque*
" *sudoribus nocturnis, et urina sedimentum*
" *furfuraceo-lateritium deponente.*"

Hecticae, quando cursus ejus non turbatur, levis circa meridiem accessio advenit; quae tamen, quintâ ferè horâ postmeridianâ, finitur. Verùm, haud multò pòst, major vis accessionis accedit. Levis adeò meridiana

meridiana haud raro accessio est, ut vix notabilis sit.

Praeter has autem accessiones, quae, ordine non turbato, se invicem excipiunt, aliae interdum fortuitò adveniunt, ex cibis nempe incautè assumptis, aliisque causis quae non semper evidentes sunt. Verùm, licèt, inter fortuitas accessiones, arteriae utique celeriùs moveantur, et calescat corpus, caetera tamen signa, quibus febris cognoscitur, nulla sunt. Ita esse, vel veteres scriptores haud ignorabant. Ex recentioribus SENNERTUS hoc accuratè animadvertit; et, quò, utrùm, necne, *hectica* urgeat, deprehendatur, monet, ut, per complures continuos dies, cibi, horâ non eâdem, adhibeantur *. In hac verò re, pro magnitudine, fortasse nimius est.

Accessiones

* SENNERT. *De Febr.* lib. iii. cap. 2. *de sign. diagn. febr. hect.*

Accessiones ordinatae a levi horrore, frigorisve sensu, plerumque incipiunt; sed, dum aeger inhorrescit, calor corporis, *thermometro* judice, haud multùm minuitur.

Post horrores, summum ubique corpus incalescit; potissimùm autem genae, pedum plantae, et manuum palmae, quae partes omnes, et, supra consuetudinem, rubescunt. Nunc calor summi corporis solito major est, at solitum tamen internarum partium calorem forsan non excedit. Arteriae interdum, temporis minuto, centies et quadragies, imò centies et quinquagies, at multo ſaepius centies ferè et vicies, astrictè duriter et acutè micant.

His signis aeger, per multas horas vespertinas ac nocturnas, vexatur. Appetente autem luce matutina, mala, quibus, dum incalescit, afficitur, mitescunt; et, si inveteraverit morbus,

morbus, his mitescentibus, insudant caput, pectus, thorax, interdum etiam femina; at rarissimè corpus aequaliter totum.

Hoc verò sudore mala, quibus aeger plectitur, non, sicut ea quibus febre remittente impliciti, multùm levantur. Rarissimè enim arteriae non centies, temporis minuto, moventur; neque unquam caeteroquin integritas est. Vergente accessione, aeger plerumque, plùs minùs, somniculosus est; atque, licèt noctu somnum brevem, neque eum recreantem, capiat, mane tamen fronte serenus et spei plenus expergiscitur.

Raro quatuor continuae accessiones remissionesve longitudine aequales sunt. Hac de re, appositè dicit HEBERDEN: "When the sweat is over, the fever will "sometimes continue; and, in the middle "of the fever, the chilness will return,

"which

"which is a most certain mark of this fe-
"ver: almost all others begin with a chil-
"ness; but the return of it, so as to last
"half an hour or longer, while the fever
"is strong upon the patient, is what I never
"saw, except only in this fever *."

Calor *hecticâ* implicitorum nonnunquam permodicus est, neque, nisi corpore aliunde stimulato, intenditur. Adeò non molestus est, ut ipse aeger sibi corpus calescere nesciat. Quanquam medici manu, protinus ut aegri corpori admovetur, non solito vehementior sentitur, tamen, pòst paulò, uti fertur, sensum tanquam pungentis alicujus seu erodentis movet.

Qui *hecticâ* tabescunt, ii identidem, per paucos dies continuos, imò decem nonnunquam

* *Med. Transact.* Vol. ii. Art. i.

quam duodecimve, ut a HEBERDEN accipimus, integritate fruuntur. Aliàs autem exhauriuntur compluribus eodem die accessionibus, quibus exigua tempora interveniunt. Interdum, etiam quoad alia, haec febris inordinatè progreditur. Modò, enimvero, non horrescere, modò non calescere, modò non sudare, haud insolitum est. Namque aliàs aeger, protinus ut inalsit paulùm, insudat: aliàs, algores subsequitur neque calor insolitus, neque sudor: aliàs, praegredientibus neque algoribus neque calore, sudor movetur: aliàs, denique, calet corpus, neque antecedentibus algoribus, neque superveniente sudore. At longè tamen saepius algor, calor et sudor, alius deinceps alium, ordinatè subsequuntur.

Insignis, quoad pulsus arteriarum, varietas, a HEBERDEN, quantùm scimus, primùm observata est. De hac, dicit his verbis:

verbis: "There is, perhaps, no disorder "of the body, in which the pulse is of "more use to guide our judgment, than in "the complaint which has been described; "and yet even here we must be upon our "guard, and ought not to trust entirely to "it; for one in about twenty patients, "with all the worst signs of decay, from "some incurable cause, which irresistibly "goes on to destroy his life, will show not "the least degree of quickness, nor any "other irregularity of the pulse, to the day "of his death *."

Aliquid simile animadvertit RUSH, PHILADELPHIENSIS, qui perhibet, arterias adolescentulae haud ignobilis, quae phthisi contabescebat, primùm aliquandiu solito tardiùs, postea justo celeriùs, micuisse. Aliorum praeterea aegrorum duorum, eodem morbo marcescentium, arteriae, ut

B idem

* *Med. Transact.* vol. ii. Art. i. p. 7. and 8.

idem fert auctor, aequaliter, neque concitatiùs quàm ex consuetudine, ad diem supremum usque, movebantur *. GREGORY † quoque certiores nos facit, virginis haud obscuro loco ortae, phthisi emacrescentis, arterias aliquandiu mane concitatiùs solito, at, vergente in occasum die, ferme naturaliter, motas esse.

Hecticâ tabescentes saepe doloribus torquentur, eos profectò, quibus crucientur rheumatici, simulantibus; qui interdum omnes ferme corporis partes deinceps percellunt, et, prae gravitate, caetera aegrorum mala augent. Hujusmodi verò dolores eos potissimùm aegros affligunt, quibus ulcera aëri exposita *hecticam* moverunt ‡. Sed tempus

* RUSH. *Medic. Inquir. and Observat.* vol. ii. p. 112. note.

† *Praelect. acad.*

‡ *Med. Transact.* loc. citat.

TRNK. *Hist. Febr. Hect.* pag. 30. ubi ait, "vulgò tamen iis tantùm aegris accidere, qui *hecticam* a phthisi pulmonali sunt adepti."

tempus est, ut ad signa usitatiora, ex quibus deflexit oratio, redeamus.

Lingua plerumque humida est; margines versus, benè rubra; nitida ubique et laevis: at, morbo inveterato, nonnunquam *aphthis* foeda. Ineunte morbo, appetitus vix languidus est; sed, increscente, fastidiosus fit. *Hecticâ* languescentes, interdum, per complures ab adversae valetudinis initio menses, cibos, ferè ut solebant sani, appetunt, adhibent, atque perficiunt; et, quod utique mirum, dum arteriae celeritate moventur, quanta committeret, ut febre acutâ impliciti omnem cibum fastidirent, et lecto tenerentur, brevia itinera impunè faciunt. Nullo ferè morbi tempore, immodica siti premuntur.

Ineunte *hecticâ*, alvus plerumque tarda atque dura est; sed, inveteratâ, profluvio,

quo

quo tanquam colliquescit * corpus, exinanitur. Profusione alvi incipiente, febris accessiones leviores fiunt, atque sudores nocturni minùs profusi. Quòd si sistatur alvus, alia mala graviora redeunt. Urina visu perquam varia est.

Cutis, nisi quando sudore manat, dura est atque sicca; et, tanquam a sanguine derelicta, pallida ubique et sufflava est. Tunica oculi *adnata* candore margarita aemulatur; atque pupilla, supra quàm solet, dilatatur.

Nulla *hectica* longa est, quin corpus magnopere maceret, atque deflorescentem formae dignitatem tanquam vetustate extinguat. Eâ enim adeò tenuantur membra, ut artus tumidi,

* Swieten certiores nos facit, duos aegros *hectica* mortuos esse, qui diarrhoea non correpti sunt. *Comment. in* Boerhav. *Aphor.* 1205.

tumidi, et solito grandiores videantur. Interdum quidem corpus, macie confectum miserrimâ, osseam larvam, cui obducta est membrana, repraesentat. Capilli defluunt. Fiunt unci ungues.

Quando eò perventum est, usque adeò labant vires, ut vel levissima exercitatione aeger defatigetur, et multo manet sudore. Animo, quàm sanus, irritabilior est, multoque in pietatem, misericordiam, moerorem et lachrymas effusior. Increscente ultrà morbo, magis fugiunt magisque vires; atque tandem crura aqua intercute afficiuntur.

Interdum, paucos ante mortem dies, aeger, mentem hucusque serenus ac tranquillus, mente labitur, deliraque fatur. Verùm raró, aliis morbi temporibus, mente captus est, ut fert auctor, cujus verba hìc ponam:

ponam: "Deliria quoque interdum ad ce-
"tera hujus febris *symptomata* accedere ob-
"servantur, ut in ARNOTI sutore, leve il-
"lud quidem, neque continuum, at quan-
"doque ominosum. Ex intervallis illud
"observare fuit in DILLENII Comite, in
"viro autem SCHELHAMMERI, ac helluone
"VOGELLII, quoties clausis oculis dormire
"satagerent, notabatur; SCHEUCHZERI de-
"nique conjugi sub morbi finem adve-
"nit*."

Alia febris est, ex cujusdam quoque partis morbo oriens, quae *hecticam* nonnihil simulat, sed quae requirit aliam curandi rationem. Haec febris, ad quam respicio, nomine *synocha* est, morbus sanè a *hectica* utique diversus, at cujus speciem incipiens *hectica* interdum repraesentat. Namque perhibet

* TRNK. *Hist. Febr. Hect.* § 14.

perhibet HEBERDEN, *hecticam*, ut ipse vidit, nonnunquam, sicut febrem ardentem, homines commodâ valetudine fruentes improviso ac magno impetu invadere, atque, iis in summum brevi discrimen adductis, remittere, usitatamque *hecticae* formam assumere.

Febris, de qua nunc dicimus, et quae a medicis etiam *symptomatica* nominatur, signa multo, quàm *ea hecticae*, graviora sunt. Quinetiam, accessiones, si quae sunt, incerto prorsùs circuitu redeunt. Haec, porrò, febris fugax est; nam, partis inflammatione, qua oritur, conquiescente, ipsa quoque conquiescit.

Febri verò *symptomaticae*, sive inflammationem, hujus parentem, evidens qualiscunque casus, putà ambustio, vulnus, concitaverit, sive causa haud manifesta, qualis he-

patis

patis aliarumque partium reconditarum inflammationem haud rarò movet, *hectica* interdum supervenit. Quando inflammatio partis latè serpit, et vehemens est, vel vitalia petivit, febris brevi tempore in *hecticam* convertitur. At, rebus aliter se habentibus, febris ex inflammatione haud exiguo antè tempore urget, quàm *hectica* subsequitur. Febri, quae ex partis non vitalis inflammatione oritur, *hectica* tardiùs succedit maturiùsve, prout haec pars plùs minùs a corde distet *.

Numne *synocha hecticam* semper antegrediatur, ex libris auctorum, quos pervolvimus, certò cognoscere nondum potuimus. Profectò, vero haudquaquam absimile est, medicis nondum occurrisse, animum ad hanc rem cognoscendam advertere; cùm praesertim,

* JOANN. HUNTER. *Treatise on the Blood, &c.* p. 498.

praesertim, si *hectica* neque ex iniquo quodam casu oriatur, neque acutis partium dolentissimarum inflammationibus, aegri, quàm periculosum nacti sint morbum, nescii vel temerè securi, non medicum antè adhibeant, quàm haec febris indubiis jam signis sese prodidit.

Hectica, uti compertum est, ex multis causis, atque ex aliis aliarum corporis partium malis enascitur *. Mala enim partium, si sanari nequeant, et ea sint, quae totum corpus afficiant, *hecticae* dant occasionem, et seriùs ociùs aegris mortem affe-

C runt.

* Morton *Phthisiolog.* passim.

Sauvages. *Nosolog.* Class. ii. Ord. i. gen. v.

Burser. *Instit. Med. Pract.* tom. i. pag. 387. § cccxviii.

Heberden. *Lond. Med. Transact.* vol. ii. Art. i.

Trnk. *Histor. Febr. Hect.*

Hunter. *Treat. on the Blood, &c.* cap. ix. § i.

runt. Hujus generis quaedam artuum * mala esse videntur. In imbecillis verò corporibus, cujuslibet ferme partis inflammatio committat, ut superveniat *hectica*, quae, tenuato corpore, et dissipatis viribus, vitam extinguat †.

Morbi, qui in vitalibus consistunt, citiùs, quàm ii in aliis partibus, totum corpus imbecillitate et *hecticâ* afficiunt; atque morbi ossibus, ligamentis, et *tendinibus* inhaerentes, citiùs, quàm ii musculis, cuti et *cellulosae* membranae ‡.

Forsitan autem *hectica*, ut rentur GREGORY primus, HOME, TRNKA auctoresque ab hoc citati, potest interdum, sine partis morbo malove, oriri. Morbi, enimvero,

* JOANN. HUNTER. oper. citat. pag. 249, et 505.

† Ibid. pag. 249. et 497.

‡ Ibid. pag. 500.

vero, qui *hecticam* gignunt, adeò varii sunt, saepe etiam, propter incognita partium morbidarum munera, adeò obscuri, atque adeò pauca inter se communia habent; ut sit, quamobrem aliquis, paucas *hecticas*, quae per se ortae videantur, quodam tamen praegrediente morbo ortas esse, suspicetur. Namque morbi specie perquam diversi, nempe ulcera, abscessus, compressi nervi *, sanguinis profluvia †, *diabetes* ‡, alvi seminisque profusiones, lactatus diutinus, *aneurismata*,

* Qui, prae spina distorta, in *paraplegiam* incidunt, ii *hectica* moriuntur. Vid. JEBB. *On the paralysis of the lower extremities.*

† MORTON. *Phthisiolog.* Lib. i. cap. iii.

‡ MORTON. Oper. citat. Lib. i. cap. viii.

Historia secunda et tertia permirae sunt; quippe quae videantur ostendere, *diabeten* interdum haereditarium esse; interdum eorundem parentum proli infestum. Ejusdem enim familiae, id quod in primis mirum est, quatuor mares etiamnum infantes, *diabete* correpti sunt, dum foeminae eo prorsùs vacabant.

*rismata**, scirrhi, vulnera ex punctionibus†, inflammationes, *hydarthri*, possunt *hecticam* movere.

A Hamilton autem Ipsvicensi narratur ‡ historia miserandi *nostalgiâ* macrescentis, qui, omnibus corporis partibus sanis, in *hecticam* incidit. Rem, ut erat, quàm paucissimis dicere aggrediemur.

Tiro miles ex Wallia, qui Tinemutham ad legionem haud ita pridem se contulerat, pallidus et dejectus evasit. De totius corporis debilitate, at nullius partis dolore constante, conquerebatur. Motus arteriarum tardi erant; languidus appetitus; lingua

* Prof. Walter. *Memoir. sur l'aneurisme in Memoir. de l'Acad. Roy.* Berlin. 1785.

† Heberden. oper. sup. citat.

‡ *Med. Comment.* Decad. ii. vol. i.

lingua humida; sitis nulla; alvus naturalis; somnus turbatus. Ita complures hebdomadas, per omnia, se habebat, nisi quòd quotidie macerabatur. Initio, paucas interdiu horas, lecto surgebat: sed, haud ita multò pòst, lecto die noctuque affixus, somno gravatus jacebat; at non adeò alto tamen, quin alloquenti responderet. Suspiria frequenter edebat, at nulla tussi vexabatur.

Emacrescente quotidie corpore, ictus arteriarum tandem celeres atque exiles evaserunt. Quinetiam, "an evident fever," ait idem, "of the hectic kind, as it seemed, "with an evening exacerbation, took place. "He had now been in the hospital near "three months, and was quite emaciated, "and like one in the last stage of a con-"sumption. His eyes were grown hol-"low; cheeks prominent; nails incurva-

"ted;

" ted; adnata pellucid; and he was so
" weak in his limbs that he could neither
" get in nor out of bed without help. Of
" late, also, he had night sweats."

Eò gravitatis antè processerat morbus, quàm HAMILTON cognovit ortum esse domuitionis desiderio, cui mos ideo non gestus erat, quòd aeger legioni se nuperrimè immiscuerat. Cognitâ verò morbi causâ, commeatus, intercedente medico, promissus, aegro spem domum reditionis injecit, animosque mirè sustulit. Ante unam hebdomadam elapsam, praenuncia secundae valetudinis rediturae apparebant; atque, duobus mensibus, adeò confirmabatur, ut valetudinario ad casas militares redire posset.

Neque, profectò, hoc unicum *becticae* domuitionis desiderio ortae exemplum est. Huic enim aliud plurima simile, nomine

hecticae nostalgicae, SAUVAGES descripsit, his verbis: "In *Orphanotrophaeis* haec "species frequentissima: pupilli scilicet, "vel patriâ vel parentibus orbati moerent, "languent, debilitantur; anorexiâ, moe-"rore confecti, lentè febricitant, sensim "absumuntur; nullumque huic malo re-"medium est, nisi reversio ad parentes, ad "patriam; medicamenta evacuantia, quae "anorexiae aut diarrhoeae gratiâ, prae-"scribuntur, inutilia, saepe noxia sunt. "Plures gestant in cruribus vel tibiâ macu-"lam *brunneam* vel livescentem; in lectulo "immobiles taciturni, omnia fastidientes ja-"cent *."

Hectica, etiamsi omnibus ferè notis max-imae debilitatis insigniatur, tamen, curato partis morbo, tali causâ si orta sit, ferme protinus

* SAUVAGES. *Nosolog. Method. Class.* ii. *Ord.* i. *Gen.* v.

protinus remittit; vires pòst paulò redeunt; atque partes corporis, valetudine receptâ, muneribus, suo quaeque, dènuo funguntur. Paucis post abscissum membrum horis, arteriae, ut compertus est HUNTER, adèo se submittunt, ut, pro centies vicies, non ampliùs nonagies, temporis minuto, micent. Quinetiam, ut ex eodem auctore, praeclaro in primis, accipimus, aegri, quibus membrum amputatum est, primâ pòst nocte altum somnum capiunt sine somnificis, qui, per complures antè menses, in somnum gratum et recreantem nunquam inibant; atque sudores, et alvi profluvium, quibus colliquescebant corpora, ferè protinus sistuntur *.

DE

* JOANN. HUNTER. Oper. ſup. citat. pag. 499, et 504.

DE CAUSIS.

Quibus ex causis *hectica* oriatur, nondum inter medicos convenit. Alii alias excogitârunt, atque in apertum protulerunt; quarum sanè nulla omnes habet in se numeros veritatis; nam unâ haudquaquam causâ omnis *hectica* enascitur.

Cullen videtur, *hecticam* absorpto semper pure moveri; atque, pus, necne, sit id quod exspuatur, animadvertendo, hacne febre emacrescat corpus, certò discerni posse *. At, causis hujus febris cognitis, est, opinamur, quare ad ejus sententiam non accedamus.

Veruntamen, quin nonnunquam absorpto pure *hectica* proficiscatur, non dubitamus;

* Cullen. *First Lines*, § dccclxi.
Vid. Notam (a.)

mus; eòque minùs, quòd nulla hucusque argumenta cognovimus, quibus non ita esse concludere possimus, atque res haud paucae, eae potissimùm a KIRKLAND memoratae, confirmare videntur. Hic enim auctor compluries compertus est, *hecticam* intermittere, pure, protinùs ut effusum, ex ulceribus a spongiâ immissâ absorpto; atque semel, intermissâ aliquandiu spongiâ, redire *.

BEDDOES, *hecticam*, seu phthisin, corpore *oxygenio* plùs satìs saturato nasci, proponit, atque opinionem multo acumine defendit †. Argumenta verò, ex quibus concludit,

* LOND. *Med. Inquir. and Observat.* vol. ii. Art. xxiii. Urgente *empyemate*, quod literis prodidit FARQUHARSON, signa *hecticae* redièrunt, simul atque, ut puris quantitas haud magna cumularetur, permissum est, at, datâ qua efflueret portâ, ferme protinus remiserunt *.

* *Mem.* LOND. *Med. Soc.* vol. ii. pag. 123.

† BEDDOES. *Multifar. Oper.*

cludit, nobis invalida ac objiciendis obnoxia videntur.

Quae BEDDOES opinioni opponantur, ea adeò multa sunt, ut de iis omnibus dicendi et tempus desit et animus. Pauca tantùm memorabo, quae cognoscuntur ex specie, quam scrutantibus videndam offerunt pulmones phthisi tabescentium, qui, maximè omnium, *hectica* insanabili laborant.

STARK, de phthisi loquens, ait; "From a
" rude calculation made on diseased lungs,
" the part which remained fit for the ad-
" mission of air, may be estimated, at a
" medium, to be about one fourth of the
" whole substance of the lungs *." Si visis credere nobis liceat, proportionem verâ haud minorem posuit.

Hac

* STARK. *Posthumous Works*, pag. 30.

Hac proportione cognita, insuper a Jurin et Menzies, quorum experimenta ferè per omnia consonant, certiores facti sumus, quadraginta propè pollices cubicos aëris in pulmones unoquoque spiritu hauriri.

His concessis, si, minuto temporis, sanus homo ferè decies sexies spiritum ducat, atque si, ex centum aëris communis partibus, viginti septem sint *gas oxygenium*; consequitur, pulmonibus et spiritu per omnia iisdem atque diximus, *gas oxygenium* in pulmones phthisici, viginti quatuor horis, adductum, quàm id in eos sani eodem tempore, 186,624 pollicibus cubicis minus esse; nam hujus *gásis* a sano, viginti quatuor horis, 248,832 pollices cubici inhalantur, at a phthisico, eodem tempore, non ampliùs 62,208.

Ad

Ad has quantitates *gasis oxygenii* coaequandas, opus est, ut, singulis diebus, phthisicus spiritus 69,120 plures, quàm sanus, hauriat, seu 64 omnino singulis minutis. At nunquam, credimus, observatum est, ullum phthisicorum tam crebrum spiritum, nisi ad breve tempus, movere.

Neque, profectò, totum *gas oxygenium* in pulmones acceptum consumitur; pars enim hinc redditur haud mutata. Sed, datis iis, quae modò de quantitatibus coaequandis assumpsimus, notae, per quas scripsimus, tantùm exprimunt, quanto *oxygenium*, in sani pulmones definito tempore acceptum, id, in pulmones phthisici eodem tempore, excedat.

Verùm probabile est, excessum utique majorem esse, quàm diximus; nam brevius tempus, quo, dum spiritus, sicut is phthisicorum,

corum, concitatissimus est, ductus extrinsecùs aër sanguini per pulmones transeunti admovetur, mutationes certò variat, quas vitalis hic humor transitu subit; et sic efficit, ut partes aëris communis constituentes minùs, quàm in sanorum pulmonibus, dissocientur. Huc accedat, quòd, prae minuta capacitate, phthisici pulmones non possunt in eam amplitudinem expandi, quae, in pulmonibus vel sanis, ad salutarem aëris extrinsecùs huc adducti dissociationem, sanguinisque perfluentis mutationem, prorsùs necessaria est.

Hujusmodi quidem opposita Beddoes ipse praevidit, atque etiam anteoccupare et praevenire conatus est: sed, putamus, frustra; nam concedit, in pulmonibus phthisi inveteratâ tabentium, partes, quibus constat aër inhalatus, multo minùs, quàm in iis sanorum, disjungi, atque appositissimè, ut

ipsi

ipsi videtur, illustrat. Veruntamen, confisus PORTAL auctoritati, addit, signa, quae, ut ipse putat, sanguinem phthisici *oxygenio* plùs satìs saturatum esse demonstrant, eo manifestiora fieri, quo propiùs ad ultima venitur. BEDDOES igitur nihili, uti videtur, ea, quae objecimus, putat.

Signa verò *hecticae*, quoniam eo manifestiora fiunt, quo minùs pulmones ad hauriendum spiritum apti evadunt, corpus *oxygenio* plùs satìs saturari, adeò non probant, ut prorsùs contrarium demonstrent. Sanguis in venis phthisicorum est, ut BEDDOES ait, rubicundior, quàm in iis sanorum *. Verùm, hoc etiam concesso, ejus opinio haudquaquam confirmatur. Nam, etiamsi

* Idem inter accessiones intermittentium accidere, testatur CLEGHORN; atque, itidem in quibusdam febriculis, et in partium inflammatarum venis, HUNTER certiores facit.

etiamsi concederemus, id profectò quod nondum demonstratum est, *oxygenium* a sanguine per pulmones transeunte absorberi, atque illo hunc ex subnigro rubicundum fieri; tamen, cùm, temporis minuto, decies plùs minùs sexies animam reciprocemus, ut sanguis, si, decimâ sextâ temporis minuti parte, minus *oxygenii* amittat, quàm uno spiritu acquirat, ex subnigro in rubicundum plùs plùsque vergat, necesse est.

Subnigrum venarum sanguinem sic erubescere posse, etiamsi *oxygenii* plus justo non accipiat, constat experimentis CRAWFORD; qui jamdudum compertus est, sanguinem subnigrum venarum in coccinum mutari, etiam cùm, inter spirandum, *oxygenii* minus solito consumitur. Hoc accidit animalibus, quae in mediis magni caloris ponuntur, itemque, ut ostendunt experimenta,

rimenta, quae fecit COLEMAN, iis aquâ calidâ submersis *.

His cognitis, non possumus, quin, BEDDOES opinionem parùm firmam esse, existimemus. Hic, enimvero, auctor, quando opinionem, quam refutare conamur, ipse accepit, ignorabat, id quod non ita pridem compertus est, *gase hydrocarbonato* †, in pulmones animalium extrinsecùs adducto, non sanguinem modò atricolorem in venis, sed musculos quoque, rubicundos fieri, dum *gas oxygenium* spiritu haustum eosdem rubefacere non potest.

Quamcunque, hac de re, opinionem comprehendamus, studium scientiam *chymicam*

 subtiliùs

* CRAWFORD. *on Animal Heat*, pag. 308 et seq. COLEMAN. *on Suspended Respiration*, pag. 144.

† BEDDOES. *Considerations on the Medicinal use of Factitious Airs*. Part. ii. Edit. 2. pag. 37.

subtiliùs excolendi, quo nunc multi ingenio praeclari flagrant, nos in spem inducit, fore, ut multa nùnc recondita aut obscuritate involuta aliquando perluceant, atque, causis morborum meliùs cognitis, efficaciora, quibus sanentur, remedia medicis innotescant. Jam enim submersorum, a morte ad salutem, sanguini *oxygenium* artificiosè impertiendo, revocatio; atque *diabeticorum*, praecipiendo, ut a cibis, qui ex terrâ editis conficiuntur, omnino vel saltem quàm maximè abstineant, curatio *; mirabiliter sanè et pulcherrimè ostendunt, quanto medicis auxilio scientia *chymica* sit ad sanandos morbos, qui ex *chymicis* corporis mutationibus oriuntur, etiam ante ipsas mutationes prorsùs intellectas.

DE

* Rollo. *Notes of a Case of Diabetes*. Lond. Jan. 1797.

DE PROGNOSI.

Hectica ferè semper periculosissimus morbus est. Quoties per se nascitur, toties ferè medicinâ insanabilis. Imò, etiam cùm morbo cujusdam partis supervenit, curari nequit, nisi morbus, ex quo orta sit, medicinam admittat: Atque adeò, interdum accidit, ut, etiamsi morbus, cujus proles sit, parte exsectâ sanaretur, de ejus tamen sanatione desperandum esset. *Hectica* verò, quae, parente morbo curato, curari recusat, malâ quadam corporis proprietate continuari videtur. Attamen, etiam cùm ita sit, partem, in qua consistat parens morbus, vel ferro excidere, interdum optimum factu est. Verùm, ubi hoc faciendum sit, discernere, est, ut HUNTER, peritissimus sanè

chirurgus,

chirurgus, verissimè dicit, arduum in primis et difficile *.

Ad ultima ferè jam ventum esse, testantur *aphthae*, quae, sub finem *hecticae*, linguam plerumque deturpant. Unus tamen *hecticus* a GREGORY † memoratur, atque a BANG ‡ alter, qui, etiam postquam *hecticâ* usque eò tabuerant, ut *aphthae* apparuissent, ad salutem redièrunt. In illo aegro, morbus, cui supervenit *hectica*, fuit vehemens intestinorum inflammatio, quae, uti videbatur, in suppurationem abiverat ; in hoc, phthisis.

DE CURATIONE.

Si, qua naturâ *hectica* sit, satìs sciretur, fortasse

* JOANN. HUNTER. *On the Blood*, pag. 497.

† *Selecta Diarii Nosocom. Fred. Hafn.* tom. i. p. 242.

‡ *Praelect. Acad.*

fortasse medicina ad curandam plùs valeret. Multùm sanè dolendum est, quonam modo totum corpus *hecticâ* tabescens utique se habeat, a medicis forsan prorsùs ignorari; namque, etiamsi sublatâ causâ excitante hic morbus nonnunquam omnino tollatur, tamen, comparatione factâ, sic tollere, raró medicis in manu est.

Excitantem *hecticae* causam, quando possit, submovere, primum factu esse debet. Quo verò modo, quibusque ministris hoc fieri possit, cujusque causae notitia medico suggeret.

Quod ad caetera, medico consilium esse debet, tam regimine quàm medicinâ aegri corpus suffulcire; graviora signa mitigare; atque antè levare, et, quantùm possit, arcere ea mala, quae, nisi iis obviàm opportunè itum fuerit,

fuerit, seriùs ociùs aegrum multùm vexabunt.

Corpus potissimùm suffulcitur idoneo regimine. *Hecticae*, quae chirurgis curae sunt, optimas offerunt occasiones observandi, quid ad sanandos partium morbos, ex quibus oriuntur, variae curationes possint. Contra hujusmodi morbos, plerumque efficacissimè pugnatur regimine, quod aegrum, quantùm patiatur caeteri corporis valetudo, roborat. Interdum verò morbi quidem vetusti partium istiusmodi regimine exasperantur. Ita esse, RUSSELL, ingenio decorus, appositissimo exemplo confirmat *. Mulier honesto loco nata, aetate provectior, cuique scrofulae labes delitescebat, quò corpus sustentaret sicque morbum arceret, sese acriter, pro bona conditione, exercere, et lautè vivere solita erat. Aliquantò pòst, manu

* *Praelect. chirurg. clin.*

manu scrofulâ exulceratâ, comperta est; exercitationem, quanta corpus haudquaquam fatigavit, vel unum quidem vini supra consuetudinem cyathum, ulcus exasperare, atque nonnihil inflammationis movere. Hanc ob rem, se parcè curare, ultra quàm quod caeteri corporis valetudini conveniebat, cogebatur.

Quod a proba hac muliere praecautum est, idem a plerisque itidem praecavendum est, qui *hecticâ* macerantur. Partis enim morbi, ex quo haec febris enascitur, habitus plerumque is est, cui curatio, quam requirat debilitas caeteri corporis, prorsùs non conveniat. Quapropter, *hecticâ* aegris praecipere, ut temperanter ultra vivant, quàm ad eorum infirma corpora sustentanda aliter opus esset, medicos haud rarò oportet.

Temperantia autem ultra, quàm satìs est,

progredi

progredi non debet. Cùm tamen, meridiano ferè tempore, *hectica* assumptis cibis, maximè carnibus, exasperetur, oportet aegrum cibos concoctu faciles parcè, at subinde quoties appetat, adhibere. Praeparatos ex carnibus, quae parùm stimulant, assumere plerumque permittatur; at confecti ex *vegetabilibus*, dummodo satìs nutriant, propterea sanè anteferendi sunt, quòd febrem minùs intendunt.

Experimentum Beddoes, atque id, quod aliquantò antè urinator infelix, Spalding, compertus est, quaedam de diaetâ suggerunt, digna ad quae animadvertant medici, quibus *hecticâ* aegri demandantur. Namque ille comperit, post *gasis oxygenii* solito plus per paucas hebdomadas spiritu ductum, appetentiorem cibi evadere, ac plus carnium sine incommodo perficere posse. Atque hic observavit, quando rebus, quae a

terra

terra stirpibus continentur, vivere, et aquam bibere, solebat, demissum in profundum maris, aëra minùs desideráre.

Hecticâ, saltem eâ, quae ex pulmonibus exulceratis oritur, marcentibus cibi, putamus, dandi sunt, ad quos perficiendos spiritu concitato minimè opus est; atque, cognitis rebus, quas memoravimus, inducimur ut credamus, eos, ex terrâ editis paratos, caeteris anteferendos esse. Quoniam enim, dum hujusmodi cibis vivitur, minus *gasis oxygenii* in pulmonibus dispenditur, partis morbus, unde *hectica* oritur, irritatione minùs continenter intendetur.

Quod ad exercitationem attinet, qua uti debent *hecticâ* impliciti, considerandum est, quae ad superstites etiamnum vires maximè accommodetur, atque quali quantaeque,

dum sani, sese assuefecissent *. Ambulatio enim, equitatio, et gestatio, haudquaquam omnes aequè exercent.

Sellae suspensae motus *hecticâ* emaceratis interdum bene convenit. Praeterquam enim quòd, ut comperti sunt SMYTH, EWART, atque CURRIE, efficit, ut arteriae plerumque, at non semper, se multùm submittant, aliis modis proficit †.

Cùm, corpore in longitudinem porrecto, idem accidat, aeger, quoties se non exercet, hoc, putamus, positu uti debet.

Nave

* HIPPOC. Sect. ii. Aph. L.

† SMYTH. *Essay on the Effects of Swinging, &c.* DARWIN. *Zoonomia*, vol. ii pag. 481. &c. Hujusmodi exercitationem proposuit DESAULT, BURDIGALENSIS, sed, anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio, quo libellum, cui nomini est *Traitè de la Phthisie Pulmonaire*, edidit, nondum, quid proficere posset, periclitatus erat.

Nave vectari, ut nihil pejus dicam, remedium anceps est. Dura enim maris plùs interdum nocent, quàm navigatio prodest; atque nunc, profectò, concurrunt multae opiniones, coelum mari circumfusum *hecticae* phthisicorum non subvenire.

Verùm, licèt non omnis aequè exercitatio *hecticâ* emacrescentibus prosit, tamen compertum est, iter, dummodo opportunè fiat, simulque horum commodo et oblectationi a comitantibus sedulò consulatur, multùm proficere. De utilitate verò, quam ex coeli mutatione accipiant hac febre emacescentes, quippe cùm ad phthisicorum curationem magis pertineat, hìc plura dicere non animus est.

Vestitus calidus cuique forsan *hecticae*, ei tamen maximè qua marcescunt phthisici, aliquantùm opitulatur. Calor summi corporis,

corporis, imprimis extremorum inferiorum, quàm sedulissimè fovendus est. Hunc in finem, lanea cuti proxima, ac frequentes frictiones, plurimùm proficiunt.

Medicinam *hecticâ* tabescentibus profuturam, confidenter dicere non possumus. Qua igitur ratione optimè subveniatur, minimè satìs constat. Cùm ita sit, animadvertendum est, qua naturâ sit morbus, ex quo oriatur *hectica*; atque ex illius notitia, quibus huic medicamentis efficacissimè opituletur, judicandum.

Quibus medicamentis febris soleat curari, ea ad *hecticam* sanandam parùm plerumque valent. Sanguinis missio rarissimè prodest; et, nostris temporibus, ferè nunquam adhibetur, nisi aliqua pars inflammatione capiatur: neque tum quidem semper requiritur; cùm praesertim, ut plerumque compertus est

PERCIVAL,

Percival, *hecticâ* macentium, maximè strumosorum, calorem intendat.

Salium, profectò, *neutrorum* quidam *hecticae* vim paulisper minuunt; at, Percival teste, efficiunt, ut pòst paulò arteriae frequentiùs et imbecilliùs moveantur *. Fothergill quoque, *sales neutros hecticâ* tabentibus saepe parùm prodesse, putat †.

Medicamenta ex iis, quae roborant, cautissimè adhibenda sunt. Quanquam enim *hectica* plerumque remittens est, imò etiam interdum intermittens, tamen huic, censet Heberden, *cinchonae* cortex haudquaquam convenit. Verùm nunquam tamen compertus est hic auctor, ex ejus usu *hecticâ* macescentes quid diuturni detrimenti accipere. Alii quidam medici ab iis hac febre tenuatis

* Lond. *Med. Societ. Mem.* vol. ii.

† Lond. *Med. Observ. and Inquir.* vol. iv. pag. 297.

tenuatis assumendum curârunt, et assumptus respondit*. Ratus tamen FOTHERGILL est, hoc cortice *hecticam* phthisicorum eò usque increscere, ut sanari prorsùs nequeat.

Myrrham, porrò, et praeparata e ferro, adhibere *hecticâ* marcentibus nonnunquam† liceat.

Opium quoque iis, qui *hecticâ* contabescunt, multùm opitulatur; atque, ne quid mali ejus usus afferat, medicus idoneâ curâ facilè praecavere potest. "A mixture of as-" safoetida and opium, ait HEBERDEN, has "in

* MORTON. *Phthisiolog.* Lib. iii. cap. ii. &c.

MURRAY. *in Baldinger Syllog.* vol. v.

VAN SWIETEN. *Commentar. in Boerhav. Aphorism.* 1209. ait, "tentavi ipse in phthisi incipiente corticis usum, nec poenituit."

CHAPMAN. *Med. Communicat.* vol. i. Art. xxii.

† GRIFFITH. *Pract. Obs. on the Cure of Hectic and Slow Fevers.*

SIMMONS. *Pract. Obs. on Consumption.*

" in some persons seemed singularly ser-
" viceable in this fever, when brought on
" by a small wound."

Quoties aliquid obstat, ne assumatur opium, alia quaedam medicamenta, ex iis quae irritabilitatem hebetant, adhibenda sunt. Horum fortasse optimum cicuta est; qua, profectò, *hecticae* phthisicorum haud rarò subvenitur. Interdum quoque profuerunt hyoscyamus et digitalis. Quinetiam *arnica*, sicuti a STOLL accipimus, *hecticae*, quae vehemente nimis suppuratione orta sit, multùm opitulatur *.

Murias baryticus, utpote qui partis morbum, ex quo mala, quae premunt, oriuntur, aliquantùm levet, *hecticâ* tabentibus nonnunquam prodest. Verùm, licèt interdum profecerit, tamen, numne saepe respondeat, nondum

* *Praelect. in divers. morb. chronic.* vol. ii. pag. 122.

nondum experientiâ satìs constat *. Certiores nos facit Gregory, hoc medicamentum, anni quidem tempore curationi maximè inopportuno, semel phthisin curare visum esse.

Numne *gasibus*, in pulmones extrinsecùs adductis, *hecticâ* marcescentibus subveniatur, consultò non dicemus; cùm praesertim, utique proficiant, necne, experimenta nondum satìs approbaverint †. Namque Withering, qui jampridem literis tradidit, phthisin, uti putavit, *gas acidum carbonicum* in pulmones hauriendum curando, ad sanitatem perduxisse, postea, dictis retractatis, morbum vomicam potiùs, quàm phthisin,

* Vid. Notam. (B.)

† Fourcroy. *in Annales de Chimie.* tom. iv. pag. 83.
Beddoes. *Opuscul. hìc illic.*
Ferriar. *Med. Histor.* vol. ii. pag. 228.

sin, sibi visum fuisse, confessus est *; atque QUARIN ait, hoc *gas*, quatenus ipse comperit, phthisicis nocere †.

Multis aliis medicamentis contra *hecticam* pugnatum est, et, uti videtur, haud semper frustrà: sed haec silentio idcirco praetereo, quòd, certò necne prosint, dicere nequeo. Profectò, contra hanc febrem, medicina ferme nihil amplius, quàm signa levare, potest. Quibus itaque medicamentis haec mitigentur, paucis dicam.

Alvus astricta, qua, *hecticâ* nondum inveteratâ, aeger afficitur, idoneis medicamentis quotidie laxanda est: at cautissimè tamen, ne diarrhoea, profluvium sanè hac febre, simul ut inveteraverit, macrescenti-

 bus

* WITHERING. *on Foxglove.*

† QUARIN. *Animadvert. pract in divers. morb. chron.* edit. VINDABON. ann. M,DCC,LXXXVI. p. 91.

bus infestum, nec medicinâ facilè temperandum, praematurè moveatur.

Sulphur medicamentum ferè idoneum est, quo alvus *hecticâ* marcentium emolliatur. Semel tamen GREGORY compertus est, phthisico diarrhoeam, qua quasi colliquit corpus, movisse. Porrò, testatur idem clarus ingenio auctor, compluribus aliis phthisicis alvum nimis acriter civisse *.

Verùm alvus tamen, quoties tarda, aliquà citanda est. Tarditas enim *hecticam* exasperat; at eam tamen maximè phthisicorum, quippe cùm, quò minùs sanguis in viscera abdominis expeditè aequaliterque distribuatur, obstando, faciat, ut morbidi pulmones ultra modum impleantur.

Sudor quoque, quo *hecticâ* inveteratâ implicitì

* *Praelect. Acad.*

pliciti quasi colliquent, intra modum compescendus est. Hunc in finem, PERCIVAL putat, aegris permittendum esse, ut cerevisiae fortiori LONDINIENSI modicè indulgeant; atque, ut, singulis diebus, subuculâ ex tela molliuscula, quam aquâ decoctâ ex *cinchonae* cortice expressam exsiccârint, truncum corporis ornent, praecipiendum. Eodem quoque consilio, acidum *sulphuricum*, atque subacidi fructus, aliquantùm prosunt.

Ad diarrhoeam, quae inveteratae *hecticae* supervenit, quaque vires aegri defluunt, atque contrahitur miroque modo decrescit corpus, intra modum cohibendam, *colomba* efficax medicamentum videtur. Etenim ex hoc medicamento adolescentula phthisica, quae tantâ diarrhoeâ laborabat, ut, duodecim horis, quadragies perliquida egereret, cuique opium, dum hoc malum aliquantùm com-

compescebat, caetera graviora reddidit, multum, ut scriptis prodidit WHITE *, utilitatis percepit. Dimidiam drachmae partem aquâ PYRMONTANA commixtam, unaquaque horâ, assumpsit. Post tertiam dosin, se meliùs usque eò habebat, ut rariores adhibere opus videretur.

NOTAE.

* WHITE. *Observations on Phthisis Pulmonalis.* Edit. a HUNTER, medico praeclaro EBORACENSI, ann. M,DCC,XCII.

NOTAE.

A.

Ulcerum puris proprietates, quatenus *chymico* opere cognoscuntur et sensibus percipiuntur, multùm ab iis muci, qui a sanis glandulis secernitur, differunt. Experimenta tamen quorundam medicorum docent, nullam proprietatum differentiam tantam esse, ut ex ea sola, utrùm pus sit id, quod extussiatur, an mucus, dubitantes certò scire possint.

Mucus enim, qui glandulis inflammatis secernitur, easdem omnia proprietates, quatenus sensus judicant, possidet, quas pus, quod ulcus, dum internascente carne impletur, effundit. Utraque concoloria sunt; utraque globulosa; denique, iisdem *chymicis* operibus pariter afficiuntur utraque *.

Quocirca, dubitantes, phthisi, necne, aliquis laboret, experiendo, utrùm id, quod expuatur, pus sit ex ulceratis pulmonibus extussitum, an mucus ab inflammatis asperae arteriae, aut pulmonum fistularum, glandulis secretus, certò cognoscere nequeunt.

Cùm ita sit, non inductus fuissem, ut integrarem experimenta, quae fecit desiderandus Carolus Darwin, quò, quibus notis certò discernantur pus et mucus,

* Joann. Hunter. *On the Blood,* p. 416, 429 et 379 note. Everard. Home. *Dissertation on Pus.*

mucus, comperiret, nisi Soemmerring, ubi memorat, quid de *diabete* hic auctor opinatus sit, eundem haec experimenta nunquam fecisse asseveranter affirmâsset.

" Nimis verè paradoxa," ait Soemmerring, om-
" nia sunt, quàm ut seriam refutationem mereantur,
" eoque minùs, quo certiùs ex amici ejus ore scio, ex-
" perimenta, quae circa puris a muco differentiam tra-
" dit, nunquam ab ipso instituta fuisse, sed e mera
" hypothesi eum ea proposuisse; hinc non mirum, ne-
" minem experimenta repetentem eadem reperisse, quae
" Darwin tradiderat *."

Compertus ea, quae de pure et muco dixit Darwin, rebus ipsis expressè convenire, non possum, quin asseram, Soemmerring, per Darwin amicum, deceptum esse, atque Darwin mendacii immeritissimò accusatum.

Praecipua experimenta, quae Darwin, ipse cepi, non pure modò ex abscessu phlegmonae vulgaris nondum exulceratae extracto, ac eo ex abscessu strumoso nondum exulcerato, sed muco quoque sanis glandulis secreto; atque omnia ferè eadem, ac literis prodidit hic auctor, comperi. Meis tamen experimentis mucus, *acido sulphurico* solutus, aquâ adjectâ ab *acido* dissociari haud visus est, nihilque amplius quàm liquorem aliquantulùm turbidum reddidit. Idem experimentis,

* Soemmerring. *De morbis vasor. absorbent.* edit. Traject. ad Moenum. ann. m,dcc,xcv. p. 158.

mentis, quae fecerit, compertus est RYAN *. Nec hoc mirum; nam, uti caetera, ita haec quoque experimenta capientibus, aliae rerum commixtarum quantitates efficiunt, ut itidem conspectu aliquatenus alia eveniant.

B.

Medici, qui *muriatem baryticum* ab iis *hecticâ* vel scrofulâ maceratis assumendum praecipiunt, interdum non satìs, quae ei sint *chymicae* affinitates, animadvertunt atque considerant. Nullum, praeter aquam subjecto igne distillatam, idoneum est, quocum adhibeatur. Nec enim duobus modò *alcalibus* et multis acidis, sed quibusdam quoque salibus compositis in partes constituentes dissociatur.

Puella, sicut ego accepi, quae magnas hujus medicamenti, *decocto lignorum* soluti, doses sine fructu assumpserat, adhibitis ejusdem aquâ distillatâ liquati dosibus multo minoribus nauseavit.

Eadem ferè omnia, quae jam nunc de *muriate barytico* diximus, item de usu *antimonii tartarisati* unà cum medicamentis quibusdam, ex iis quae gignuntur e terra, dicere liceat. Jamdudum compertus est CORNETTE, partes hujus medicamenti aquâ decoctâ ex *cinchonae* cortice disjungi †. Et, praeterea, haud ita pridem anim-

* RYAN. *Essay on Consumption*, edit. DUBLIN. ann. M,DCC,LXXXVIII. p. 28.

† *Mem. de la Soc. Roy. de Medecine.* ann. M,DCC,LXXIX. p. 249.

animadvertit BERTHOLLET, hoc medicamentum non solùm sic aquâ disjungi, in qua gallae maceratae sint, sed etiam ex efficacissimo prorsùs iners atque inefficax reddi *.

Antimonium tartarisatum theae admixtum interdum insanientibus affatim datum est, neque tamen iis nauseam fecit. Cupidus cognoscendi, *theâ*, necne, partes constituentes hujus medicamenti dissocientur, aquis duabus distillatis, quibus, utrique verò alia, duae *theae* vulgares satìs magnâ quantitate maceratae essent, aquam indito *antimonio tartarisato* saturatam addidi. Misturae protinùs luci imperviae evaserunt, atque, paucis postea horis, sedimentum deposuerunt. Hae verò mutationes in ea aquarum minùs conspicuae erant, in qua macerata *thea viridis* fuisset.

* *La Medecine Eclairée par les Sciences.*

FINIS.